



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1849

XXII. Der Prediger in der St. Katharinenkirche verzichtet auf den Zehnten und Dreißigsten von der Feldmark der Neustadt Brandenburg, erlaubt auch die Antellung eines Hospitalpriesters gegen Abtretung ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54022)

successivis temporibus in futurum. Cum hoc nobis concessit de voluntate predictorum dominorum, ut ad capellam sancti Spiritus possimus tenere presbiterum, qui inibi divina officia celebret, salvo tamen jure suo in oblationibus et aliis ad ipsum de jure spectantibus, et idem presbiter missas suas ante vel post officium parrochie sue ita, quod sit sine prejudicio missarum, que fiunt, in parrochia sua, poterit et debeat celebrare. Insuper decimam vel tricesimam, ut preactum est, de mansis supra dictis provenientes in Crucewitz seu plebano inibi residenti tenebimur erogare. In hujusmodi ordinationis ac donationis testimonium sigillo civitatis nostre presens scriptum duximus roborandum. Datum et actum in civitate Brandenburg, anno domini MCCCXX, in dominica, qua cantatur Letare Jerusalem

Nach dem ältern Copiaro des Domstifts.

XXII. Der Prediger in der St. Katharinenkirche verzichtet auf den Zehnten und Dreißigsten von der Feldmark der Neustadt Brandenburg, erlaubt auch die Anstellung eines Hospitalpriesters gegen Abtretung von 2 Hufen in der Feldmark Stenow, am 11. März 1320.

In nomine domini. Amen. Si de hiis, que aguntur in tempore, aliqua debeat oblivio, recessus ad scripture testimonium habeatur. Hinc est quod ego Christianus, nove civitatis Brandenburgensis plebanus, presentibus protestor et ad noticiam tam presentium quam futurorum pervenire cupio notum, quod de auctoritate et consensu venerabilis in Christo patris, domini Johannis episcopi, honorabilis domini Johannis Brandenburgensis ecclesie prepositi totiusque ejusdem ecclesie capituli remisi civibus nove civitatis Brandenburgensis omnem decimam seu tricesimam parrochie me, videlicet beate Katherine et Amalberge, ab antiquo debitam, et in perpetuum ipsos dimisi quitos de decima seu tricesima supradicta danda in futurum, et auctoritate dominorum meorum supradictorum concessi eis, ut ad capellam sancti Spiritus possint tenere presbiterum, qui inibi divina officia celebret, salvo tamen jure meo in oblationibus et aliis ad me de jure spectantibus, et ut idem presbiter missas suas ante vel post officium parrochie mee ita, quod sit sine prejudicio missarum, que fuerint in parrochia, debeat celebrare. In istorum restaurum dederunt michi duos mansos, sitos in Stenowe, cum omni jure et proprietate et pertinentiis, liberos a solutione decime et tricesime, quam decimam seu tricesimam consules ac cives Brandenburgenses plebano in Crucewitz pro me solvent, a me et successoribus meis in perpetuum possidendos. Testes hujus rei sunt dominus Johannes episcopus, dominus Johannes prepositus Brandenburgensis totumque ejusdem ecclesie capitulum nec non consules nove civitatis Brandenburgensis videlicet Nicolaus de Lapidea Domo, Rodolphus Monetarius, Jacobus Juterboe, Henningus, Johannes Roschowe, Johannes Velkener, Arnoldus Ywani, Henningus Cremer, Nicolaus Gorckeke et alii quam plures clerici, laici fide digni. Ut hec ordinatio in perpetuum maneat duratura, sigillis dictorum dominorum, videlicet venerabilis domini, Johannis episcopi, et honorabilis domini Johannis prepositi ecclesie Brandenburgensis totiusque ejusdem ecclesie capituli mea cum sigillo meo feci presencia communiri. Datum Brandenburg, anno domini M^o. CCC^o. XX^o., feria secunda post dominicam, qua cantatur Letare.

Nach dem Originale.